



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Singularitatis vitium odit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ita, qui sublimiùs volare conabantur ceteris, nec ceteros æquare passibus, nec communem cum ijs vitam aut leges valent obseruare. Ioanni certè non erat hæc morum via, qui communis vitæ amantissimus, pro insigni ducebat asperitate ac perfectione, alligare se accuratè seruandis legibus quotidianæ vitæ, illudque vsurpabat: *Mea pænitentia maximè est vita communis*. Contrà verò, instar pestis, singularitatem omnem in se, alijsque oderat ac defugiebat, principijsque suis hoc quoque adscripserat: *Sequi in omnibus communitatem, & maximè odisse singularitates*. Scriptum reliquit, *Singularitatem esse recessum quemdam abductionemq; à communi more ac consuetudine sine necessitate aut causâ; eius actus esse, ambire, aut citra necessitatem sumere cibos, vestes, resve singulares. Communibus se aliorum omnium occupationibus eximere*: quale esse, aiebat, si quis præter Societatis morem, communi se aliorum relaxationi subduceret, similibusve (quæ obeunt ceteri) exercitijs se suffuraretur: neque eo tolli actionis singularitatem, quòd Superiorum approbatione aut permissu facta esset, sed demi malitiam solummodò iudicabat, cum sic esset scilicet obedientiæ permissu facta. Ad extremum adiungit, *singularitatem inimicam esse charitati, vitam vero communem* (præterquam quòd longè

De singularitatis vitio.

Communi se colloquio subducere, singularitatis indicium est.